



## **Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies decimus et undecimus continentur

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romae, 1868**

De S. Vinardo Seu Winardo Conf. Prope Lingonas In Gallia Commentarius  
Pr vius Sancti memoria in paucis, iisque recentioribus dumtaxat, Fastis  
sacris, cultus ecclesiasticus, tempus emortuale incertum, ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71246)



AUCTORE  
C. B.  
recte docent;  
etsi autem de  
cultu silent,  
Juliana tamen  
Monstrolii co-  
latur.

in Martyrologio suo universali, anno 1709 vulgato, per Sanctæ nostræ annuntiationem, num. i huc transcriptam, dilucide etiam tradit; ut, cum is martyrologus simulque et dictis Mabillonius et Arturus a Monasterio, S. Julianæ corpus Monasterioli hodieque asservari, unanimi consensu et quidem, ut apparet, e notæ haud adulterinæ notitiis affirmant, dubitandum enimvero non sit, quin recte, rem ita habere, edoceant, quæ in Sanctæ nostræ elogio Saussayus scribit; imo vero hæc, sacrum illud pignus, honore conditorio inclusum, prope S. Austrebertæ lipsanothecam honorifice ibidem servari, recte etiam docere, e Papebrochii verbis modo huc transcriptis fas est colligere. Verum, etsi sic habeat, de cultu tamen, quo Sancta vel Monstrolii vel alibi gaudeat olimve fuerit gavisa, omnino silent. Nec, etsi Papebrochius (verba ejus num. proxime prægresso huc transcripta vi-

desis) de S. Julianæ cultu in hanc, qua de ea D foret tractandum, diem plenius informari desiderarit, notitiam allam, eo facientem, quæ post cum Decessoribus nostris fuerit communicata, in supellectili nostra litteraria reperio. Hinc factum, ut, an Juliana, quæ Fastis sacris dumtaxat recentioribus, supra enumeratis, inscribitur, jure sibi locum in Opere nostro vindicaret, initio dubitarim; verum dubitationem hanc mihi exemit Mabillonius. Julianæ enim Officium, a Monstroliensibus recitari solitum, per verba, num. xi huc transcripta, citat; cum sic autem, non tantum qualicumque modo, sed et Officio ecclesiastico Monasterioli Julianam coli, non obscure prodatur, nec quin id ibi ab immemorabili etiam ante annum 1634 tempore factum fuerit, dubitandum ullo modo appareat, hincam, veluti Sanctam, in Opus nostrum illatam, lectori, scrupulo omni deposito, hic exhibui.

## DE S. VINARDO SEU WINARDO

CONF. PROPE LINGONAS IN GALLIA

### COMMENTARIUS PRÆVIUS

Sancti memoria in paucis, iisque recentioribus dumtaxat, Fastis sacris, cultus ecclesiasticus, tempus emortuale incertum, Vita, ei afficta, cur edenda.

SEC. FORTE VIII.  
Sanctus, qui,  
dumtaxat Pu-  
risiensis et Uni-  
versali Castel-  
lani Martyro-  
logiis insertus,

Inter omnia diversi nominis Hagiologia, magno numero penes nos exstantia, duo dumtaxat, Parisiense videlicet et Universale Castellani, Martyrologiorum appellatione distincta, quæ Vinardum seu Winardum hodie celebrant, inveniuntur; verum, etsi sic habeat ac proin nullis prorsus Fastis sacris antiquis seu classicis hic Sanctus exstet insertus, sibi tamen jure locum in Opere nostro hic exposcit; hodie enim cultu ecclesiastico certo gaudet, uti infra ostendam, cum primum, qua ratione in duobus mox memoratis Martyrologiis memoretur, lectori ob oculos posuero. Qui Parisiense, quod anno 1727 in tuceam prodiit, Martyrologium contexit, breviter hodie in hoc S. Vinardi sic meminit: Sancti Vinardi, cujus memoria prope Lingonas exstat: Castellanus autem, Sanctum Gallice non Vinart, sed Guenard appellans, sequentibus hisce, quæ e lingua Gallica in Latinam verto, id verbis, S. Vinardi confessoris, et prope Lingonas et prope Nobiliacum in pago Pictavensi culti, in Galliarum Sanctis, hodierno Sanctorum, Martyrologio Romano inscriptorum, laterculo in Martyrologio suo Universali adjunctus, facit; verum hanc Sancti nostri annuntiationem hodie reformari sequenti isthoc modo, S. Guenardi, prope Nobiliacum in pago Pictavensi et prope Andiliacum in diocesis Lingonensis loco, CELLÆ nomenclatione distincto, ubi Vinardus appellatur, culti, in suis ad Martyrologium illud Additionibus et Correctionibus vult.

2 Quod si itaque martyrologo illo standum

hic sit, Sanctum nostrum non tantum in diocesis Lingonensis loco, Cellæ appellatione distincto, ubi Latine Vinardus, Gallice Vinart, verum etiam Nobiliaci in pago Pictavensi, ubi Latine Guenardus, Gallice Guenard, appellatur, cultu ecclesiastico affici, erit dicendum. Verum, cum Sanctum, qui Gallice Guenard, Latine Guenardus, appelletur Nobiliacique in pago Pictavensi hodie colatur, nusquam vel in Fastis sacris vel in aliis penes nos exstantibus libris invenire, diligentissima licet facta indagine, potuerim, enimvero, unde ibi cultu ecclesiastico gaudere Sanctum nostrum, Castellanus didicerit, edicendo non sum. Verum, etsi sic habeat, cum equidem in diocesis Lingonensis loco, Cellæ seu, ut abs aliis scribitur, Cellulæ nomine distincto sexque ab urbe Lingonensi miliaribus prope Andiliacum sito, cultu ecclesiastico centum amplius annis ante Urbani VIII de Servis Dei, Sanctorum albo ab Ecclesia nondum adscriptis, publice haud honorandis decretum, anno 1634 emissum, fuisse affectum ac proin (neque enim, quod tum ac seculo, uti ea infra dicendis patescet, proxime elapso, factum ibi est, modo haud amplius ibidem fieri, verosimile apparet) hodieque affici, asseverare, et quidem absque errandi periculo, possum.

3 A tempore enim, tot, quot divi, annis mox dictum Urbani VIII decretum prægresso, honore illo Vinardum seu Vinardum in præfata diocesis Lingonensis loco affectum fuisse, luculentissime evincit penes nos exstans, quod

Nobiliacium  
coli ab hoc as-  
seritur, vere-  
que etiam in  
ecclesia Cellen-  
si

antiquitus cul-  
tus fuit ac  
porro hodieque  
colitur, eccle-  
siastico, in quo  
omnia  
Lectiones



A *Lectiones novem prolixiores aliasque ecclesiastici de Vinardo seu Winardo recitandi Officii partes complectitur, egraphum, e veteri Cellensis prope Lingonas ecclesie codice Ms. a Jacobo Vignero, Societatis Jesu sacerdote, excerptum atque ad Decessores nostros transmissum. Hic quidem, cujus ætatis codex ille Cellensis Ms. existit, haud edicit, verum, cum post artem typographicam sec. xv inventam solideque quibusdam in locis jam stabilitam libri tam spirituales seu ecclesiastici, quam profani manu haud amplius describi, sed typis excudi soluerint, id enimvero, sec. xvi antiquiorem existisse Ms. illum ecclesie Cellensis codicem ac proin Sanctum, utpote de quo e jam dictis ecclesiasticum in hoc continetur Officium, centum amplius ante Urbani VIII supra memoratum decretum annis honore Sanctis proprio in diocesis Lingonensis loco, Cellæ seu Cellulæ appellatione distincto, affectum fuisse, ostendit. Nec ibi tantum, sed et in tota eadem diocesi jam tum Officio ecclesiastico, etsi interim in hoc, contra ac in Officio, quod e supra memorato ecclesie Cellensis codice Ms. Vignerus nobis descripsit, fiebat, nullæ omnino lectiones veluti Sancto propriæ recitarentur, honoratus fuit S. Vinardus.*

B *4 Ita scilicet dilucide nos docet idem, qui, quod dixi, fecit, Vignerus. Postquam enim e veteri isto ecclesie Cellensis codice Ms. Lectiones supra memoratas novem aliasque ecclesiastici de S. Vinardo recitandi Officii partes transcripsit, statim in harum a sese ita confecto, quod mihi ad manum est, apographo, ad v Idus seu xi diem Octobris novem Lectionum de communi confessoris non pontificis Officium de S. Vinardo confessoris in veteribus Lingonensibus Breviariis Mss. ac proin sec. xvi, uti e mox dictis nemo non colliget, antiquioribus legi, disertè affirmat. Nec est, cur illi hac in re, cum eam haud dubie e Breviariis illis a sese inspectis accepit, fides haud adhibeatur. Porro Sanctus eodem etiam modo, uti mox idem Vignerus subjungit, usque ad tempus, quo Claudius de Longovico, dictus Cardinalis de Givry, anno 1561, ut Gallie Christ. auctæ scriptores tom. 4, col. 635 docent, e vivis ereptus, ecclesiam Lingonensem recit, in diocesi Lingonensi colli perrexit, nec mutationem ullam ante annum 1604, quo, ut laudati Gallie Christ. Scriptores tom. cit. col. 638 tradunt, Carolus d'Escars Lingonensis episcopus Breviarium Lingonense reformavit, fuisse in ecclesiasticum Vinardi Officium inveciam, invenio; verum tunc, uti ex ipsomet, quod mihi ad manum est quodque dicto anno 1604 e proxime laudati Lingonensi episcopi mandato notatur excusum, Lingonensi Breviario disco, fuerunt breviores in hoc Lectiones sex, quæ veluti Vinardo propriæ in ecclesiastico ejus Officio ad xi Octobris diem recitandæ proponuntur, illatæ.*

C *5 Lectiones illas, priusquam meum de iisdem juxta ac de prolixioribus jam supra memoratis Officii, quo in ecclesia Cellensi colitur cultusve certe e jam dictis olim fuit Vinardus, Lectionibus novem judicium promam, serie non interrupta huc transcribo. Sic habent: Vinardus, Geniti civis Romani et Alciæ filius, tempore persecutionis, a Decio imperatore Christiano nomini inflictæ natus. Octobris Tomus V.*

et in eo, quæ  
huc serie con-  
tinua

Quem parentes diu, post contractum matrimonium steriles, multis precibus et piis operibus a Domino obtinuerunt, et sacro Baptismatis fonte renatum Vinardum nuncuparunt. Hunc, cum viderent bona indole et acri ingenio præditum, Sixto Pontifici Romano litteris et pietate ac religione instituendum tradiderunt. A quo sedulo edoctus progressum non contemnendum assecutus est. Tanta autem fuit illius comitas et in tolerandis cœtaneorum in se convitiis patientia, ut, quamvis sæpius impeteretur ab illis, eos certaret beneficiis obruere, memor Dominici præcepti, quo jubemur maledicentibus benedicere. Defuncta deinde matre, cum pater conjugis amissæ anxietate conficeretur, beatus eum Vinardus tam efficacibus rationibus solatus est, ut omnem ei tristitiam ademerit.

6 Postea rogatus idem Vinardus a quodam Romano, ut filiæ suæ graviter decumbenti suis precibus subveniret, cum pollicitatione Fidei Christianæ recipiendæ, si filia sua sanitati restitueretur, id assecutus sua oratione Vinardus, eum cum tota familia sua Christianum fecit. Cumque multis claret miraculis, apud Dioscorum, quod Christianus et magus esset, accusatur. A quo cum multis minis et suppliciis ad sacrificia idolorum compelleretur, idque constantissime renueret, in carcerem postea missus, divinitus est liberatus, multis ejus constantia in asserenda Religione ad fidem conversis. Postea Galliam petens ad locum, cui Cellulæ nomen est, sex milliariibus ab urbe Lingonorum distantem pervenit. Ubi constructo brevi oratorio in honorem divæ Virginis collectisque aliquot discipulis, qui ejus pietatem ac religionem imitari cupiebant, reliquum vitæ tempus die noctuque in orationibus ducens multisque editis miraculis, gloriosus ad Christum migravit. *Tales sunt, quæ veluti Vinardo propriæ, in ecclesiastico ejus officio ad xi Octobris diem recitandæ, in Lingonense anni 1064 Breviarium sunt illatæ, Lectiones sex; hæc autem supra memoratis ecclesiastici, quo in Cellensi ecclesia colitur olimve certe cultus S. Vinardus fuit, Officii lectionibus novem recentiores, uti e jam dictis nemo non colliget, certo sunt.*

7 Quare, cum quæ in hisce novem, eadem fere etiam, episcopi tamen, quæ ibidem Sancto tribuitur, dignitate suppressa aliisque nonnullis brevitas causa omissis, in sex illis, ut comperio, memorentur hæcque certe, quæ præterea in titulo, quem in dicto Breviario præferunt, ex antiquis ecclesie Cellularum Tabulis depromptæ indicantur, nulla in re cum dictis Lectionibus novem pugnent, ea hisce esse illas, contractione adhibita, confatas, indubitatum opinor. Verum quid de iisdem lectionibus novem, e quibus sex istæ aliæ promanarunt, censendum? In Opere nostro ad xvii Januarii diem, qua Caduroi Aquitanie primæ populi S. Genulphum veluti primum civitatis suæ antistitem venerantur, Sancti hujus episcopi Vitam, cui et Vitam aliam, ab auctore anonymo conscriptam, e Floriacensi Joannis Boscii bibliotheca addidimus, e duobus veteribus Mss. publici juris fecimus. Porro uti in novem ecclesie Cellensis de S. Vinardo Lectionibus hic Sanctus noster ita in duabus istis Vitis Genulphus Patrem

86 quidem,

actore  
C. B.

transcribuntur  
Lectiones, vel-  
uti sibi pro-  
prias, e novem  
ecclesie Cellen-  
sis  
E

F  
de Sancto Le-  
ctionibus con-  
fatas, est na-  
ctus, cumque  
hæc e S. Genul-  
phi



ACCORDA  
C. B.

quidem, nomine Genitum, matrem vero, Acliam appellatam habuisse, a Deo per hosce precibus impetratus, erudiendus Sixto Pontifici traditus ac abs hoc per gradus ecclesiasticos ad episcopatum promotus fuisse narratur. Adhæc eadem propemodum omnia, quæ de Vinardo dictæ Lectiones, de Genulpho etiam dictæ Vitæ memoriæ produnt, frequenter etiam viæ in verbis, sed tantum fere vel in ordine, quo res gestas narrant, vel loco, quo hæc Genulphum, illæ Vinardum cum discipulis, a se congregatis, commoratum ferunt, invicem dissonæ; cum autem sic habeat, e duabus dictis S. Genulphi Vitis vel saltem ex harum alterutra conflatas contractione esse novem, de quibus hic nobis sermo, ecclesiæ Cellensis de S. Vinardo Lectiones, merito æstimes.

Vitis mutatae  
sint ac proin,  
quæ tradunt,  
ad Vinardum

8 Hæc quidem tam una, quam altera e duabus illis Vitis longe breviores sunt, dumque duæ Sancti cujuspiam Vitæ, quarum altera prolucior, altera contractior est, inveniuntur, plerumque prolucior e contractiori per amplificationem nata ab eruditibus existimatur; verum viæ ullam Sancti cujuspiam Vitam, e Lectionibus, in ecclesiastico ejus officio recitari solitis, compositam, invenias, hæcque ut plurimum, ne dicam semper, e Sanctorum Vitis, per eos, qui ecclesiastica de hisce composuere Officia, in compendium, quo paucis multa complecterentur, contractis, adornatæ deprehenduntur; cum autem sic habeat, nec ulla S. Vinardi duæque contra, uti e jam dictis constat, S. Genulphi Vitæ reperiantur, verosimillime harum, tunc passim haud notarum, unam, si non et alteram, qui ecclesiasticum S. Vinardi Officium, recitari in ecclesia Cellensi solitum, composuit, ad manum habuerit, omniaque fere, quæ in illa de S. Genulpho memorantur, haud prorsus inepte S. Vinardo, cujus gesta ignorari sciebat, absque ullo, ne qualecumque furtum hujusmodi, in Sancti hujus gratiam commissum, delegeretur, periculo applicari posse putans, ex iis, in compendium contractis, Lectiones, in Officio istaq; recitandas, concinnavit.

haud spectent,  
ne emortuali  
quidem hujus  
tempore deter-  
minando

9 Ita sane rem vere factam, vel idcirco apparet, quod alioquin, ut universa propemodum, quæ de S. Vinardo in Lectionibus istis narrantur, de Genulpho etiam in duabus hujus Vitis, in quibus tamen id, ut jam vidimus, fit, referrentur, futurum fuisse haud videatur. At vero, cum sic, ut jam dixi, habeat, non ad S. Vinardum, sed ad S. Genulphum spectare, quæ Lectiones illæ memorant, sunt censenda nihilque adeo harum fide de Sancto nostro merito credendum. Hinc, etsi Vinardum fuisse a Sixto Pontifice ordinatum episcopum, diserte tradant, ei ego non episcopi, sed, ecclesiæ Lingonensis, quæ, quemadmodum e veteribus hujus Breviariis Mss. supra citatis liquet, S. Vinardum, ut confessorem non pontificem, antiquitus coluit meliusque ob jam dicta eodem, quo ante annum 1604, officio, omissis etiam in hoc, quas supra num. 5 et 6 huc transcripsi, lectionibus propriis, colere perrexisset, auctoritate potissimum impulsus, confessoris dumtaxat titulum attribui. Hinc, etsi certe, ut Vinardus, quem et circa Decii tempus natum et a Sixto II Pontifice fuisse eruditum, non obscure produnt, vel ad sec. III vel ad sequentis initium referatur, exigant, eum ego ad VIII æræ Chri-

stianæ seculum cum Castellano, cujus vestigia hac in re illum, qui Martyrologium Parisiense, anno 1127 vulgatum, contexit, secutum etiam esse conspicio, malui referre.

10 Nescio quidem, qua ratione impulsus Castellanus seculum VIII potius, quam aliud quoddam antierius S. Vinardo assignarit; verum cum haud temere vel litteris quidquam mandare vel tempus, quo quid factum sit, determinare sit solitus, errori me minus, si ipsum, quam si Lectiones, quæ, cum ad Vinardum e dictis neuliquam spectent, temporane sane, quo hic vixerit aut obierit, determinando aptæ nullatenus sunt, hic sequeretur, exponendum putavi. Porro, etsi ob jam dicta nec emortuale Vinardi tempus statui, nec quidquam de hoc Sancto nostro tuto credi Lectionum istarum auctoritate possit, eas tamen ego omnes novem sub Vitæ, quam in totidem numeros dividam, S. Vinardo affectæ titulo, Commentario huic, Adnotationibus etiam, ubi id res exiget, adjunctis, subnecto; id autem vel idcirco facere est visum, quod ita sit futurum, non tantum ut ab iis, penes quos Opus nostrum exstat, tam cum duabus dictis S. Genulphi Vitis, quam cum brevioribus num. 5 et 6 huc transcriptis Breviarii Lingonensis Lectionibus conferri facile queant, verum etiam ut certo, quod ad rem potissimum hic facit, universi et singuli, a quibus factum id fuerit, primo quidem e duabus istis S. Genulphi Vitis aut saltem ex harum alterutra proluciores ecclesiæ Cellensis Lectiones, deinde vero ex hisce Breviarii Lingonensis Brevis promanasse seu contractione esse conflatas, dilucide perspiciant ac porro simul etiam, quæ dixi, consecraria inde esse, agnoscant.

#### VITA

### S. VINARDO AFFICTA

Auctore anonymo

E veteri Cellensis prope Lingonas ecclesiæ codice Ms.

#### CAPUT UNICUM

Sancti parentes, nativitas, pia sub Sixto Pontifice educatio, ordinatio in episcopum, miracula, cruciatus pro fide tolerati, vita austera, obitus.

Temporibus Decii imperatoris persecutio Christianorum acriter in urbe grassabatur Romana, adeo ut pæne omnes, qui Christum confitebantur, per impium jam supra dictum Augustum idolis sacrificare compellebantur, aut variis perimebantur tormentis. In illis itaque diebus

Parentum pio-  
rum, sed diu  
sterilium pre-  
bitus



A diebus fuit quidam homo Christianissimus, Genitus nomine, nobili genere inclitaque ortus prosapia, occulte Christianitatis servans habitum, multas pauperibus, viduis et orphanis devotissime præbendo eleemosynas, observans illud: Date eleemosynas, et omnia munda sunt vobis *a*. Qui non ob amorem illicitæ voluptatis, sed propter filiorum procreationem accepit secundum suam nobilitatem excellentissimis ortam natalibus uxorem, nomine Acliam, valde a Deo dilectam; qui per diuturnum tempus simul commorantes filium genere \* nequiverunt.

\* I. gignere  
a Deo imperatus Winardus Sixto Patre erudiendus traditur.

2 Ambo autem erant justii incidentes in mandatis et justificationibus Domini, quorum utroque preces ad Dominum fudit, ut illorum viscera sacro semine dignaretur perfundere, quatenus filium procreare potuissent. Qui exaudivit preces, et dedit beatissimæ Aclie conceptum; quod cernens beatus Genitus innumerabilis Deo reddidit gratias, sciens, Deo sibi propitio esse fecundam prolem generandam. Postmodum vero, præclarissimo partu edito a matre, in ejus nativitate valde gavisus parentes, in abluitionem sacri Baptismatis in unum convenientes, puerum Deo dilectum, nomine suo vocaverunt Winardum. Cum autem crevisset, omnes mirabantur elegantem illius formam egregiamque pulchritudinem. Nam cum lustrum haberet curricula transacta, tradiderunt illum beato Sixto, Papæ Romano, poscentes eum, ut Puerum sacris imbueret disciplinis, qualiter ejus vestigia juxta humanum posse sequi valeret. Vir denique sanctissimus cum gaudio illum suscepit, et infra breve spatium vetus ac novum Testamentum ei memoriter tradidit.

sanctitate præcellens, episcopus ad hoc ordinatur.

3 Ipse autem puer, divina fultus Clementia, quamvis ætate esset puer, moribus tamen senex erat. Nam, si quis ex illius sodalibus atque juvenibus eum convitiaretur atque verberaret, cum gaudio magno propter nomen Domini patienter sufferebat. Videns quoque beatus Sixtus illius sanctitatem nec non et patientiam, per ordinem omnes ecclesiasticos gradus ei committens, ad ultimum ordinavit episcopum. Cum autem ipse in scholaribus moraretur disciplinis, beatissima mater ejus migravit a seculo.

C Pater nempe ejus, dolens multum de morte uxoris, noluit ullam accipere consolationem; sed tamen veniens ad beatum Sixtum, cui suum tradidit Filium, narravit illi dolorem, quem ex amissa contraxerat conjuge. Beatus itaque Sixtus multis verbis eum consolatus est; et jam consolatione præcepta abiit in domum suam, magnas Deo referens gratias pro conjuge, quam jam Dominus in regnum transtulerat suum *b*.

b puellam agrorum sanat eamque et parentes baptizat:

4 Audiens autem hoc quidam homo, nomine Aclibertus *c*, venit ad sanctum Winardum et cecidit ad pedes ejus, dicens: Obsecro te, domine, ut venias in domum meam, et liberes filiam meam ab infirmitate, qua detinetur: si enim hoc feceris, credam in Deum tuum. Tunc abiit sanctus Winardus cum illo et sanavit filiam ipsius in nomine Domini. Videns autem pater filiam sanam, cepit deprecari beatum Winardum, ut baptisaret eum cum uxore et filia. Audientes itaque multi infirmi miracula, quæ faciebat Winardus, ceperunt venire ad eum, ut sanaret eos: at ille curabat eos in nomine Domini.

d

5 Interea cum hæc agerentur, quidam homo abiit et nunciavit Dioscoro comiti, quod magi duo advenissent a partibus Romæ *d*, qui

docerent templa deorum destrui, ceremonias respui, et omnia priscae legis decreta convelli. Unum enim Deum prædicant coli, cujus etiam se famulos protestantur. Hæc audiens comes misit milites, qui eos in conspectu suo exhiberent. Et cum fuissent ante illum adducti, interrogavit illos dicens: Nunquid non magi illi estis, qui subvertitis nostram civitatem. Ad hæc beatus Winardus respondit: Non sumus magi, sed servi Domini nostri Jesu Christi. Tunc comes dixit: Nisi sacrificaveritis diis et revocaveritis omnes, quos in errorem induxistis, per multa tormenta vos interficiam. Tunc sanctus Winardus respondit: Neque te timeamus, neque tormenta tua, quia non vales amplius nocere, nisi quantum Dominus noster tibi permiserit.

6 Tunc comes, ira commotus, jussit illos fustibus cædi. At illi cum cæderentur, benedicebant Dominum, qui illos confortabat. Videns autem, quod nihil illis nocere potuisset, jussit illos in clibanum ardentem mitti. In quo cum missi fuissent, descendit angelus Domini de cælo, confortans eos, et refrigerans ignem; factus est statim clibanus velut ros. Populus autem cepit clamare et dicere: Non est Deus in universa terra, nisi Deus Christianorum, quem servi sui Winardus et Genitus prædicant. Præfectus vero comes tanta insania erat invasus, ut etiam necis erubesceret *e*, jussitque sanctos Viros de clibano extrahi; cernensque, quod nihil eis nocere posset, præcepit in ipsorum brachia circulos mitti ferreos, atque in carcerem usque in crastinum retrudi. Cum autem ducerentur in carcerem, facta est vox ad illos de cælo dicens: Estote fortes, o Viri sancti, et confortamini in Domino; quia crastina die omnes habitatores civitatis hujus per vestram prædicationem credituri erunt in Dominum Jesum Christum. Populus vero rogabat sanctissimum virum Winardum, ut baptizaretur ab eo. Beatus autem Winardus, accepta aqua, consecravit eam, et baptizavit illo die plus quam trecentos viros, exceptis parvulis et mulieribus, et prædicabat illis, ut pacem inter \* haberent *f*.

fustibus cæditur, in ignem conjicitur, illiusque manens, multos baptizat,

E

7 Postea recedens \* inde, venerunt in Burgundiam *g* ad locum, qui vocatur Cellula: qui locus distat sex milliariis ab urbe Lingonensi: juxta fontem, a quo manat lympa dulcissima. Cujus successores, post ejus transitum, ipsum fontem sub beatissimi Guinardi nomine, usque in hodiernum diem, in ejus honore nuncuparunt. Beatus vero Winardus ædificavit ibi oratorium sub honore beatissimæ Virginis Mariæ, et laborabat die ac nocte, ut omnes discipuli ejus, post suum discessum, ibidem Deo servire valerent. Audientes quoque viri religiosi, quam arduam beatissimus Winardus ducebat vitam, veniebant ad eum tradentes illi suas possessiones; nec non comam capitis, propter nomen Domini, ibidem deponentes, sicut enim supra insertum est, a die ordinationis suæ, usque ad mortem, vinum non bibit *h*: panem alium nisi hordeaceum non comedit; vestimentumque illius asperrimum erat cilicium. Ubi cum discordantes videbat, nihilominus ad concordiam revocare studebat. Et quid dicam? Longe ipsius vita fuit a ceteris hominibus *i*.

\* supple se  
f ad locum, qui Cellula vocatur, venit, ibidem oratorium ædificat arduamque vitam ducit, recedentes

h

i

k

8 Quadam enim die, cum ad excolendum hortum, ubi fieri debuisset, et cum discipulis esset *k*, bestiola, quæ vulgo vulpes dicitur, unam



A. ANONYMO.  
vulpem, ut  
gallinam rap-  
tam referat,  
solo mandato  
compellit,

unam ex suis invadit gallinam, et ante illum transiens in ore illam ferebat; quod cernens venerabilis vir Dei Winardus, ait illi, o crudelis bestiola, cur hanc substantiam fratrum defraudare venisti, nullam habens licentiam, nostram deportare gallinam? Sed potius ad ipsum, ubi eam cepisti, revertere locum, ipsamque dimitte illasam. Tunc illa, servi Dei obtemperans praecepto, reversa ad locum, ubi gallinam ceperat, ibi eam incolumem dimisit. Revertens autem viam suam atque ante fores ecclesiae transiens, in semetipsa contremiscens, cecidit, et expiravit. Unde ex eo tempore, usque in presentem diem, non fuit visa in eodem loco capta gallina a supradictae speciei bestiola, per intercessionem sanctissimi Winardi, confessoris; hoc autem non admirandum est, sed summa cum reverentia praedicandum: quisquis enim voluntatem Domini fecerit, sine dubio securitatem habere potest, quod omnia, quae apud Dominum petierit, impetrabit l. Appropinquante autem tempore migrationis suae ab hac luce, convocans discipulos suos in unum, praedixit illis, quod die quarto sequenti, de hoc seculo esset migraturus. Inter alia admonitionis verba, praecepit eis, sub testificatione, ut corpus ejus in ecclesia non sepelirent, neque involverent linteaminibus, sed cilicio siccio \* corporis operirent nuditatem. Audientes autem hoc discipuli, praenimio dolore coeperunt dicere: O pater, cur nos tam cito deseris, aut cur nos desolatos relinquis? omnes enim a te derelicti perditum erimus.

discipulosque  
suos consolatus  
ae ad virtutem  
hortatus pie  
moritur.

9 Sanctissimus itaque Winardus, motus his fetibus, blande eos consolari coepit, dicens: Nolite flere, filii dulcissimi, nolite super me contristari: sed habete firmam spem in Domino, et pura mente ac sincero corde, sicut coepistis, illi servite; et tenete doctrinam, quam vos huc usque docui: si enim hoc feceritis, procul dubio scitote, quod Dominus semper vobiscum erit. Quod si aliqua tribulatio vobis evenerit, cum gaudio, propter nomen Domini, sufferte; cogitantes ipsius verba, in euangelio dicentis: Ego quos amo, castigo, et arguo m. Et illud: Scitote, quia mundus gaudebit: vos autem contristabimini n. His autem peractis, vox de caelo intonuit, dicens: Jamque o, C o, Serve Dei, festina et veni: accipe coronam, quam tibi praeparatam Dominus habet, ab initio seculi, et sic demum missarum solemnibus celebratis, admonitioneque discipulorum peracta, corpore et sanguine Domine se munivit, et ad ultimum vale dicens discipulis, migravit ad Dominum, sub quinto Idus Octobris, ad laudem ejus, qui vivit, et regnat nunc et semper, per infinita secula. Amen.

## ANNOTATA.

a Lucæ xi, §. 41 Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis.

b Eadem plane, quæ tribus primis hisce numeris de Vinardo hic referuntur, in duabus, quæ apud nos ad xvii Januarii diem estant, S. Genulphi Vitis, prioris quidem cap. 1, posterioris vero cap. 1 et 2 de Genulpho narrantur.

b Forte hic legendum homo, nomine ac re Libertus, Vignerius in margine admonet; sed

homo, nomine Aglibertus, in priori S. Genulphi Vita num. 17, ubi idem de Genulpho, quod hic de Vinardo, narratum invenies, legitur.

d Duæ S. Genulphi Vitæ, priusquam, quæ hic et num. proxime prægresso narrantur, de S. Genulpho memorent, hunc ejusque patrem in Gallias Evangelii ibidem annuntiandi causa missos tradunt; cum id autem ibidem Vitæ, S. Vinardo affictæ, auctor anonymus de Vinardo ejusque patre haud indicet, et tamen non secus atque illæ in plurali numero loquatur, vel sic sese, quæ hic et num. proxime prægresso scribit, e duabus S. Genulphi Vitis aut certe earum alterutra mutuasse prodit.

e Locus hic indubie est corruptus. In 1 S. Genulphi Vita num. 24 legitur: Comes, multa invasus insania, etiam nec sic erubescibat.

f Quæ hic et duobus numeris præced. narrantur ac iis, quæ in 1 S. Genulphi Vita num. 17, 19, 20, 22, 23 et 24 referuntur, respondent, tunc primum, cum ea Italia jam abiisset Vinardus, spectatis iis, quæ num. proxime prægresso dicuntur, evenerint: contrarium autem in Lingonensis anni 1604 Breviarii Lectionibus, Commentarii prævii num. 5 et 6 recitatis, indicatur; verum, cum hæc in reliquis fere cunctis ad amussim cum ecclesie Cellensis de Vinardo Lectionibus conveniant, ea hisce illas, contra ac jam plus semel indicavi, haud profuuisse, concludendum inde non est, uti nec ex eo, quod Comment. prævii num. 5 in Lectionibus Lingonensibus Vinardus, hic vero num. 3 in Cellensibus Sixtus dicatur Genitum, cum hujus uxor obiisset, efficaciter consolatus.

g Qui Vinardus ejusque pater e carcere, in quem conjecti fuerant, evaserint liberi, auctor anonymus o S. Genulphi Vitis exponere nimio brevitatis studio hic omisit.

h Supra sese dixisse, quod ibidem non dixit, auctor hic innuit, ecce scilicet secutus 1 S. Genulphi Vitam, in qua num. 37 legitur: Sicut enim supra inserimus, a die ordinationis suæ usque ad diem migrationis suæ omne, quod inebriare potest, os ejus non attigit.

i Præcipua, quæ hoc num. narrantur, sunt præsertim e primæ S. Genulphi Vitæ num. 34, 36, 37 et 38 accepta.

k In priori Genulphi Vita num. 38 de Sancto hoc legitur: Quodam die cum ipse sanctissimus confessor invigilaret assiduus in opere, ne quos Christus in eo locello congregaverat, penuria afficeret, excolendi agri causa, quo hortus fieri deberet, cum discipulis expetiit.

l Quod hic de Vinardo, qui vulpem, ut gallinam raptam referret, solo vocis suæ imperio compulerit, id de Genulpho in priore hujus Vita num. 38 et in posteriori num. 29 refertur.

m Apocalyps. 3, §. 19.

n Joannis 16, §. 20.

o Vocem hanc, pro qua melius poneretur Euge, hic ego, quod primaria manu in egrapho nostro exarata reperitur, retinui; contrariam vero ob causam vocibus Actiam et Actiæ, quæ, correctæ primaria manu, in egrapho nostro exhibentur, voces Actiam et Actiæ, pro quarum posteriori in Lectionibus Lingonensibus Actiæ legitur, hic supra num. 1 et 2 substitui.